

Ma complectitur, ut hic fere locum inveniat, quod in
vulgato proverbio dicitur; *Quod multa paucis exprimantur.*
Siquidem omnia *Patriarcharum & Prophetarum vaticinia*
omnes *typi*, seu *figurae*, tanquam *umbrae*, vel *representa-*
tiones Messiae tempore *V. Testamenti* ad *Mesiam* re-
latæ cum omnibus *indiciis & prophetiis* de futuro *Mes-*
sia propositis tanquam in *primo centro* summam ex-
hibitis, ex quo postmodum omnes *lineae doctrinales* ex
ministerio *Mosis & Prophetarum*, & aliorum virorum
θεοπνευστων deductæ sunt, ut vere *Compendium Compen-*
diorum Prot-Evangelium adpellari posset. Cum primis
autem omni jure *Compendium Christologias salutife-*
ræ nuncupatur. In hoc *Prot-Evangelio*, primario no-
stræ tractationis *objecto*, tota *divinorum decretorum*
æterna de salute nostra constitutio cum nulla restitu-
tionis humanæ vel *consilia*, vel *decreta* Dei reperiantur,
quæ non commode juxta verborum plenitudinem
ad hoc oraculum satis clare referantur. Secun-
do omnis *Patriarcharum*, *Prophetarum*, & aliorum
virorum *θεοπνευστων* de Redemptore generis humani
tempore *Veteris Testamenti renunciatio*, quod sine
difficultate cuilibet diligenti scrutatori patebit, qui
saltem aliquam diligentiam per indagationis spiritua-
lis media, videlicet *orationem*, *meditationem* & *tentatio-*
nem adhibebit. Tertio universa meditationis Apo-
stolicæ, vel etiam aliorum præconum per totum *N.*
Testamenti circulum *divulgatio* de Salvatore Christo,
quæ Dei sapientiam in *Mysterio* complectitur. Siqui-
dem enim omnes *Evangelici Doctores* fundamenta
suæ vel *predicationis*, vel *testificationis* ex hoc *cælestis veri-*
tatis Archivo desumpserunt; imo desumere debue-
runt quicquid unquam fidelibus ad salutem de Chri-
sto

sto